



ALaricus Sueuorū rex sua fortitudine & rebus agendis dexteritate, sibi magnum nomen comparauit. Cum autē eius tempore Hunni & Gothi Germaniam turbassent, atq; Venedigēs potentissima eos à tergo subinde lacefferent, ipse suas regiōes relinquere, atq; opportuniore occupare prudentum consilio habito statuit. Itaq; cum suis popularibus Boiemiam, Silesiam, Lusatiam, & finitimas regiones Boream & Eurū uersus deserit, & uersus Occidentē progreditur. Ibi agrū p̄pinquum Danubio, Rheno, Nicro, fluminibus capit: deinde Rheno atq; Danubio traiecto partem Galliarū, & Rhetiā supra Lycum Orientalem, Ita-

liam usq; paulatim occupauit. Boij quoq; Sueuorū uestigia insecuti, ipsis proximi ad Orientem uersus confederunt, atq; inter sese æternum fœdus sanxerunt. Itaq; Venedorum reges Zecho & Crocus loca à Sueuis & Boijs relicta & deserta inuaserunt, & occupata etiamnum possident. Cum autem Franci hanc Sueuorum & Boiorum uicinitatem ferre non possent, Clodoueo rege eos bello lacefferunt, & tandem prælio ad Tolbiacum commisso, ditionem prius occupatam ipsis concedunt, & Theodorici regis Italiæ intercessione, cum ipsis pacem faciunt, Anno Christi 500. Auent. lib. 3.